

CAP. XXVIII.

Artotyritæ cur sic dicti. Erroris caput vnum.

Artotyritæ sunt ¹ quibus oblatio ² hoc nomen dedit. Offerunt ³ enim panem & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terre & ouium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis iungit Epiphanius.

I Artotyritæ sunt.) Hi sunt iidem cum Pepuzianis Epiphanio, quos tamē hoc loco separat Augustinus. certē Montanistarum fuisse propaginem certum est, & verisimile etiam eos fuisse schismaticos Pepuzianorum, à quibus propter suam illam casei oblationem recesserunt, cū in reliquo dogmate planè inter se consentirent. Dicti sunt autem Artotyritæ, Græcè Ἀρτοτυριται, ἀπὸ τῆς Ἀρτοῦ, id est, pane, & τυροῦ. i. caseo. Quo verò tempore ista lues primū extiterit, & quandiu grassata sit, quibus item successoribus defensa, dici non potest, quia pauci omnino huius hæreseos meminerunt, & statim collapsam, propter manifestam Cœnæ corruptelam, & discipulorum paucitatem crediderim. Huius tamen meminit Isidor. & retenta est in cano. Quidam. 24. quæst. 3. Horū meminit Hieronym. lib. 2. in Galat. in Proœmio.

2 Oblatio hoc.) In impressis, Oblatio eorum hoc, ineptè. Vox enim eorum, non modò redundat, sed procul dubio monachicū glossēma fuit, quod ex Isidoro facilè potest intelligi. Ait enim, Artotyritæ ab oblatione vocati, reiecto pronomine relativo, eorum. Itaque expunximus. Est autem locus
hic